

Heinrich Rahn Nicolaus Meier

Disputatio Iuridica Inauguralis De Arrestis

Rostochii: Kilius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732603358>

Druck Freier  Zugang



Gefängnis und
Beschlagene

H. Rahm (H. Heia) /d

R. U. ins. 1656.



Disputatio Juridica Inauguralis
De
ARRESTIS,

Quam
DEO teroptimo maximo favente,
ex decreto & autoritate
Magnifici, Nobilissimi atq; Amplissimi
Ictorum ordinis in illustri Academia

Rostochiensis,
Praside VIRO

Consultissimo atq; Excellentissimo

DN. HENRICO Rahnem/

J.U.D.&P.P. Consistorii Ducalis Me-

klenburgici Assessore, & Facultatis

Juridicæ Decano

spectabili,

Pro summis in utroq; Jure honoribus ac

privilegiis Doctoralibus consequendis,

publicæ eruditorum censuræ

submitte

NICOLAUS MEIER, LÜBEC.

Ad diem 25. Sept. horis. locoq; consuetis

ROSTOCHII,

Typis Hæredum NICOLAI KILII Acad. Typogr.

Anno 1656.





Niverſa benè & compe-
tenter geruntur, ſi rei princi-
pium fiat decens & amabile,
DEO Nov. 6. in preſat. nam
quæ malo inchoata ſunt prin-
cipio, vix eſt, ut bono per-
agantur exitu arg. l. u. C. qui
dare tutor: meritò igitur in no-
mine Domini noſtri JESU
CHRISTI, in quo ad omnes

actus, omniaq; conſilia feliciter progredimur l. 2. C. de
Offic. preſ. præſ. Afric. ad hanc noſtram diſputationem
accedimus.

Thesis I.

Quoniam vero à vocis conſideratione in ipſam rerum cognitio-
nem deducimur, & in omni diſciplina prior ratio haberi debet
verborum l. 1. in pr. ff. d. reb. cred. non immerito inquirimus unde no-
men arreſti deſcendat arg. l. 1. pr. de j. & j.

Th. II.

Arreſtum dicit *Gailius de arreſt Imper. c. 1. n. 1.* eſt vocabulum barba-
rum, uſu quotidiano in foro & judiciis Germaniæ receptum. Galli
autem arreſta Supremorum Tribunalium ſententias ſive placita vo-
cant, referente *Molineo in conſuet. pariſiens. part. 2. gloſſ. 1. in verb. arreſti*
n. 1. id derivantes à Græco verbo ἀρραϊσθαι, quod in corruptum vel invi-
olatum ſignificat, ſc. quod in illis ſupremis Curiiſ ſententiæ incorruptæ
& juſtiſſimæ exeant, vel ab ἀρεσθαι, quo placitum ſive decretum de-
notatur. *Perr. Peck. de Jur. ſiſt. c. 1. n. 2. & ſeq.*

A

Th. III.

Th. III.

Def. Aliis vocabulis arresta vocamus impedimenta, five interdicta, eò, quod impeditur & quodammodo interdicatur debitori usus rei suæ, ne eam ex loco arresti transferre liceat, vel si arrestum in personam factum sit, ne ipsemet loco moveat pedem, *Coler. in præfat. de process. execut. n. 29.* Manuum injectiones, quia sub manu seu custodia quasi sunt res arrestata. Jus sistendi, vel quia, quod arrestatur, sistitur in loco, vel quia postquam arrestum factum est, ibi sistendum est. Germanice dicimus *verbot/ beschlag / kummer / befümmernus /* unde illæ voces in *verbot legen / anhalten / beschlagen / die Güter oder Personnen befümmern oder verbieten lassen.*

Th. IV.

Arresto assimilatur sequestrum, que ï non nisi voce ab arresto differre multi putant, teste *Coler. de process. execut. in præfat. n. 35. & part. 1. c. 2. n. 101. & 103,* ubi ipse alterum pro altero sumit, uti passim in illo cap. 2. Hinc *part. 1. different. Jur. Civ. & Saxon. Christophori Zobelii different. 44. n. 8.* tradit *Bernb. Reinhard.* nihil ea inter se differre nisi sono & vocabulis, quod sequestrum vox latina, arrestum autem sit vox Gallici idiomatis. Quod quoq; de voce sequestri scribit *Sigism. Saccias de Judic. lib. 1. c. 38. n. 1.* Hoc tamen non subistere, indicat ipse *Reinhard. d. loc.* quando addit quoad formam & modum procedendi magna est differentia. *Idq; Col. in cit. præf. satis agnoscit.*

Th. V.

Differunt enim hæc duo inter se (1.) Sequestratio est separatio rei controversæ, penes tertium, qui sequester vocatur *Curi. de sequestr. quæst. 1. n. 20. Balu. in l. un. c. de prohib. pec. seq.* Arrestatio est quasi realis quædam citatio, sive manuum injectio & impedimentum, ne res vel persona à loco suo moveatur *Gail. h. tit. c. 1. n. 2. & 15.* (2.) Illa est rerum, de quibus controversia est, aut in quibus jus aliquod alter præterdit & adjudicari petit *l. no. ff. de v. s.* Hæc vero illarum, quarum alias certa sunt dominia possessiones & cetera ad eas pertinentia, ita, ut nobis invitis ex loco illo, negotio nondum sopito, auferri non possit *Peck. de Jur. sist. c. 1. n. 4. Clud. de sequestr. c. 2. n. 6.* (3.) Illa sit causa custodia. Hæc autem hunc in finem interponitur, ut arrestatus debitum solvat *Gail. d. loc. n. 15.* (4.) Illa, non nisi citatâ parte, contra quam impetratur, decernitur *Curi. de seq. n. 40.* Hæc ne prærequirit citationem partis, sed eâ plerumq; incia imponitur *Coler. d. tract. part. 3. c. 11. n. 66.*

n. 66. plures differentias vide apud eundem d. part. & cap. à n. 54. ad
n. 88.

Th. VI.

Similis est etiam arrestatio capturæ, sive in incarcerationi debitoris, nam carceris species est, in publico sine vinculis servari l. 48. ff. de V. S. attamen non possunt per omnia æquiparari. Est quoque Obstagium affine remedium arrestationi, ita ut ab uno ad aliud frequenter argumentari soleant. Differunt vero in eo, quod imploratio Judicis pro arresto de consuetudine sit necessaria, nec sine ejus jussu rectè imponetur. Detentio vero ad obstagium, fit mediante monitione creditoris extra judiciali *Coler. de process. execut. part. 1. c. 8. n. 1. Speidel. ad Belsold. Thes. in verbo Zeistung.* Non autem hæc ita dicta volumus, ac si Judicis opera in requisitione pro obstagio nunquam sit necessaria, si enim debitor, ejusve fidejussor ad obstagium vocati se sistere recusat, tunc eorum Judex rectè aditur, ut eos sub certa poena ad obstagii præstationem compellat *Coler. d. c. 8. n. 2.*

Th. VII.

Expositâ ethymologiâ & synonymis, item quomodo ab iis, quæ arresto affiniã sunt, differat, sequitur definitio. Est autem arrestum legitima detentio rei, vel personæ debitoris, Judicis autoritate facta, securitatis gratiã, donec negotium, de quo quæritur, expediat, vel componatur,

Th. VIII.

Dividitur arrestum in necessarium, aliã judiciaire, & voluntarium, seu extrajudiciale *Gail. d. tract. c. 1. n. 7.* Necessarium est, quod à Magistratu seu Judice ex justâ causâ decernitur. Voluntarium, quod ex conventionem & voluntate partium fluit, & ut pactum servari solet, quod etiam Prætor se tuiturum ait *in l. 1. l. 7. §. 7. ff. de Pact.* Licet & his Judicis decretum oporteat intervenire. *Gail. de arr. c. 3. n. 1. & cap. 11. n. 30. Coler. de process. execut. part. 1. c. 3. n. 47. c. 6. n. 12. 13. & 14. cap. 7. n. 6. part. 2. c. 1. n. 1. Mey. de arrest. c. 5. n. 1.*

Th. XI.

Sequuntur nunc personæ, quæ arrestare possunt. Arrestare autem proprio nomine possunt creditores omnes, quibus aliquid debetur, dummodo debitum tale sit, ob quod executivè procedi possit. Creditorum quoque heredes, etiam si in instrumentis illorum non est expressè facta mentio, quia personam creditoris repræsentant, ut in termin. tradit *Rebuff. ad Ordinat. Reg. Gall. tom. 1. art. 6. gloss. 3. n. 14.* Item

cessionarius, cui obligatio vel jus crediti ceditur, quia cedens eandem potestatem transfert in cessionarium *Rebuff. eod. loc. gloss. 7. n. 42. Mey. de arrest. c. 7. n. 6. & seqq. aliq. Peck. hic cap. 3. n. 4.* Fidejussor quoq; solvens pro debitore principali, eodem jure fruitur, quo creditor circa arrestum, ne sit deterior conditio fidejussoris, quam principalis debitoris, contra *l. 6. §. 4. vers. adjicientes. C. de his qui ad Eccles. confug. Mey. hic d. cap. 7. n. 13. & 14. Peck. de Jur. sist. c. 3. num.*

Th. X.

Alieno nomine possunt arrestare Tutores & Curatores, quia dominorum loco in administracione rei alienæ habentur *l. 56. §. 4. ff. de Furt. l. 7. §. 3. ff. pro Emptore ut & alii ejus generis administratores, Mey. d. c. 7. n. 21.* Item Procurator creditoris ad causas agendas & lites persequendas constitutus *gloss. in l. 1. verb. ab his C. ubi quis de curial. & cohortal.* Hinc occurrit questio: *Utrum ad petendum arrestum speciali mandato opus habeat?* Sunt nonnulli qui hoc affirmant: Nos vero contrarium statuimus ex hoc fundamento, quia concessio uno, cætera quoq; videntur concessa, sine quibus id explicari nequit *l. 2. ff. de jurisdic. Procuratoris mandatum rectè porrigitur ad arrestum, per quod ad obtinendum finem judicium præparatur Coler. part. 2. c. 2. n. 43. usq; ad n. 47. inclusive, nam qui vult consequens, videtur etiam velle antecedens arg. l. 77. ff. de acquir. hered. l. 56. & 62. ff. de Procur. l. 34. ff. de Decur: Ubi Angel. inquit procuratorem ad petendum posse debitorem fugitivum capere, ut ipse mandator. Socius pro socio, Confors litis pro consorte Peck. cap. 3. num. 6. & 7. Mey. cap. 7. n. 36. & duob. seqq.*

Th. XI.

Materia arresti sunt res seu bona debitoris mobilia, quatenus ad eum spectant, quæ ex justa necessitatis, vel utilitatis causâ usu hodierno arrestare posse neminem non latere arbitror. Immobilium, licet custodiri *l. 1. §. 1. ff. Commod. l. 11. ff. de peric. & commod. rei vend. & distrahi possint, ac propter illa frequentius metus armorum incuriatur, Ordinat. Camer. part. 2. tit. 21. pr.* superfluum est arrestum: quoniam loco moveri non possunt, interim solet à Judice impetrari prohibitio alienationis, ne in fraudem creditoris alienentur, & sic ipsius causa deterior reddatur *Mey. de arr. c. 9. n. 25.* quod præceptum de non alienando, non multum absimile est arresto, tamen in
qui -

quibusdam ab eo differt, ut videre est apud *Coler. de process. exec. p. 3. c. 11. n. 54. & seq.*

Th. XII.

Illo quoque remedio uti solent in petitione hæreditatis secundum *gloss. & Dd. in l. 5. pr. & §. fin. ff. de petit. hered.* quare etiam, si vidua post mortem mariti in re familiari aliter versetur quam frugi materfamilias, tenetur ab eo tempore ad rationes & reddendum residuum, quod ex annuis redditibus, alimentis deductis, superest. Hinc etiam est, quod de rebus hereditariis defuncti vidua cogitur inventarium conficere, & eo deficiente, mediante juramento rationem reddere *Joh. de Platea ad l. 2. §. in exig. n. 8. C. quand. & quib. quart. pars lib. 10. l. Marcellus ut ff. de action. rer. amort.* Imo possunt etiam debita & nomina debitoris arrestari, ne ipsi solvantur *Rebuff. ad consil. reg. rom. tract. de liter. oblig. art. 12. gloss. un. n. 22. Peck. de jur. sist. c. 4. n. 10. Mey. cap. 9. n. 35.*

Th. XIII.

Non tantum autem res, sed & ipsa personæ, quando suspicio dilapidationis vel periculum fugæ & moræ adest, sive purum, sive in diem, sive sub conditione sit debitum, arrestari possunt *Peck. de jur. sist. c. 4. n. 6. & 7. Gail. 2. de pac. publ. c. 2. n. 9. nec ulla est differentia inter mares & fœminas, licet Imperator Justinianus fœminis insigne illud privilegium concesserit, ut pro debito civili incarcerari non debeant, Nov. 134. c. 9. Auth. Hodie novo C. de custod. reor. cum in eo parcatur verecundiæ sexus, ne quis in illa solitudine struat insidias pudicitie fœminarum arg. l. 1. C. de offic. divers. judic. cum l. 1. §. 5. vers. sexum ff. de postuland. arrestis tamen rectè detinentur, ut se sistant & respondeant, quod etiam usus probat *Peck. d. tract. c. 5. n. 10. Mey. cap. 3. n. 3.**

Th. XIV.

Hic valde, frequens & perampla incurrit quæstio: *Utrum cadaver debitoris possit arrestari à creditore, donec debitum solvatur, das man den todten Leichnam auff der Baere kûmmert?* Et quibusdam in locis hoc observatur, & permittitur creditoribus post mortem debitoris, cadaver ipsius arrestare, *Peck. de jur. sist. c. 5. n. 23.* quæ convetudo testante *Gailio h. r. c. n. n. 28.* fundamentum habet ex l. 12. tab. ubi perfidi debitoris cadaver creditoribus lacerandum tradebatur, ut testatur *A. Gellius noct. attic. lib. 20. cap. 1. circa fin.* At talis convetudo subit famam crudelitatis, ideoque

non valet *Gail. h. tit. c. u. n. 28. Peck. hic c. 5. n. 117.* nec est admittenda per *Nov. Co. c. 1. §. 1. l. 6. & auth. Item qui damnus. C. de sepulch. viol.* nam ab omni humanitate alienum est, ut sepultura impediatur, quæ memoria humanæ conditionis dicitur in *l. 27. pr. ff. de condit. instit. Coler. de process. execut. part. 1. c. 6. n. 116. Carpzov. J. R. S. part. 1. const. 30. desin. 22. n. 2. Schneidv. ad tit. instit. de interdict. §. Summa, 1. n. 41. & seq. Mey. c. 8. n. 225. & seq.*

Th. XV.

Diximus th. 8. Arrestum esse etiam conventionale. Circa id quaeri hic potest, an pactum creditoris, quod ex morâ solutionis debitor arrestari possit, valeat? & quidem in bonis & rebus debitoris, hæc conventio facile admitti potest arg. *l. 3. C. de pignor. Gail. 2. obs. 45. n. 8.* tam contra Statum Imperii, quam quemlibet privatum *Gail. d. tract. c. 11. n. 24.* de personâ autem debitoris quid censendum videamus. Et licet quidam reperiantur, qui liberum hominem pro debito pecuniario ex pacto arrestari non licere existimant *Franc. Ripa in l. 6. n. 20. ff. de pignor. Myns. decad. 7. respons. jur. 66. n. 16.* Propterea, quod pro debito carceri mancipari nequeat; neq; ad servitutem, cujus carcer species est *l. 2. ff. de hom. lib. exhib. sese obligare l. 12. cum auth. seq. C. de oblig. & ad. Nov. 134. cap. 7.* talem tamen conventionem non modo iavenerata & apud multas gentes approbata consuetudo, *Fab. in cod. lib. 8. tit. 6. desin. 7. n. 2.* sed & jus commune confirmat teste *l. 9. ff. de serv. export. l. 1. & 2. C. si mancip. ut alien. Gail. de arrest. cap. 1. n. 7. Id. 2. obs. 45 n. 3. Coler. d. tract. part. 1. c. 7. n. 3. & seq. Carpzov. 1. desin. forens. constit. 30. desin. 2. n. 3. 4. & 5.*

Th. XVI.

Fidejussor simplex, excusso, vel notoriè non solvendo existente principali *Dambaud. in praxi Civ. cap. 64. n. 9. per auth. presente C. de fidejuss. & mand.* Fidejussor vero, qui se simul ut principalem obligavit, tanquam principalis arrestari potest *Dambaud. d. loc. Rosbach. in prax. Civ. h. t. n. 30.* si ante diem suspectus vel fugitivus existat *Bald. in l. 40. §. qui provocavit. n. 14. ff. de pact. Peck. de jur. sist. c. 4. n. 8. Mey. c. 8. n. 37.* Omnes deniq; contumaces, ut tædio arrestationis affecti, coram iudice compareant; in iudicio ritè procedant, testimonium dicant, instrumenta exhibeant, pacta servent, debitum disolvant, cautionem præstent, & deniq; quicquid illis præstandum vel

vel faciendum iacumbit, faciant. *Rosb. in prax. Civ. b. 1. n. 33. Gail. hic c. 1. num. 15.*

Th. XVII.

Multi autem reperiuntur, qui contra arresta privilegii, aut jure singulari se tueri solent: ut Cives, qui in eâ civitate, ubi habitant, arrestari non debent *Mev. hic cap. 8. n. 78.* Jure Lubecensi expresse provisum est, ne cives eorumq; bona ad instantiam concivium arrestentur *art. 7. & 10. tit. 12. lib. 5.* quo beneficio non gaudet (1.) qui facultatibus minus est idoneus ad satisfaciendum *d. art. 7.* (2.) ad solvendum condemnatus, illud autem detrectans *d. art. 10.* (3.) Contumax *d. art. 10.* nec non (4.) Fugitivus *ibid.* nam is omnia privilegia perdit. Item Clerici debitores non possunt arrestari à judice seculari *Coler. de process. exec. part. 2. cap. 3. n. 158.* Coram judice enim seculari Clericus regulariter conveniri non potest, itaq; nec arrestari ab eo debet *Gail. 1. obs. 37. n. 1. Myns. cent. 2. obs. 67.* exceptis nonnullis casibus, quibus judici illos arrestare potestas concessa est, v. g. quando suspicio fugæ adest, ut tamen judici suo præsentetur *Myns. cent. 2. obs. 65. Gail. 2. obs. 44. n. 2.* aut quando periculum in mora & debitoris judicem adeundi difficultas est *Peck. d. tract. c. 4. n. 1.* Ab Ecclesiastico vero judice clericus omnino potest arrestari *Peck. d. cap. & num. Mev. cap. 2. n. 87.*

Th. XIX.

Professores, Doctores *arg. l. 6. C. de Profess. & Med. Peck. hic cap. 5. n. 9. Damhaud. in praxi Civ. cap. 64. n. 6.* Sic & Studiosi privilegio de non arrestando fruuntur, si frugi sint. Qui enim nomine saltim sunt Studiosi, & flagitiis indulgent, indigni sunt illo privilegio *Peck. hic cap. 4. num. 1. Coler. de process. exec. part. 2. cap. 3. n. 149. & 153. Mev. d. cap. 8. n. 96. & seqq.* etiamsi in matriculam sint recepti *Gail. d. 1. cap. 10. num. 10.* Uti autem nec ad delinquentes hoc privilegium pertinet *l. 2. in fin. C. de privil. Scholar. & Nov. 17. cap. 5.* ita nec discessuris ex Academiis, vel aliis locis, ubi pro victu & habitatione debita contraxerunt, indulgetur licentia illa, ut discedant antequam solvant. Et hinc, qui suppellectilem suam & libros paulatim colligunt, hi tanquam mox locum mutaturi, adeoq; de fugâ suspecti arresto merito detinentur. *Coler. de process. exec. part. 2. cap. 2. n. 127. Mev. d. c. 8. n. 89.* Et hoc usum fori recepisse, ne de-

cu

tur eis potestas contra omnem æquitatem sub specie privilegii alios defraudandi, ait *Peck. cap. 5. num. 2. circ. fin.*

Th. XIX.

Quæ modo de ipsis scholaribus dicta sunt, ad eorum quoq; libros & bona pertinent, quæ studiorum gratia secum habent *Peck. d. c. 5. n. 1. Coler. de process. execut. part. 2. c. 3. n. 132. & duob. seqq.* Item ad salaria Doctorum, quæ dantur pro ipsorum operis in erudiendo juventutem: ut & ad stipendia, quæ studiosis pro continuatione studiorum ex publico erogantur *arg. l. 40. ff. de re jud. l. 5. C. que res pign. oblig. Coler. d. part. 2. cap. 3. n. 144. ubi tamen num. seqq. hanc addit limitationem, si alia adsint bona, in quæ fieri possit executio. ex jam all. l. 40. ff. de re jud. & l. 4. C. de execut. rei jud. Ad famulos quoq; & nuncios studioforum, extendunt hoc privilegium *Rebuff. de privil. studios. privileg. 166. Peck. d. c. 5. n. 3. in fin.**

Th. XX.

Milites porro militiæ armatæ, quando ad bellum properant, vel in eo occupati sunt, arrestare haud licet; sicut nec eorum arma & equi, quibus pro defensione reipubl. utuntur *Coler. de process. execut. part. 2. c. 3. n. 132. & 137. quod tamen non est intelligendum de aliis bonis, quæ habent extra causam militiæ (idem exaudi de rebus quas Clerici atq; Scholares, seu Academici, extra suam professionem quæstus causâ possident) imprimis vero, quas prædando aliis abstulerunt *Coler. d. cap. 3. n. 137. & seqq. Peck. hic cap. 5. n. 4. Mey. cap. 8. n. 104. cum duob. seqq.**

Th. XXI.

Legati, eorumq; res in illo loco, ubi Legationis munere funguntur, vel per quem ejus de causa ire & redire opus habent, arrestari non possunt, etiam si ibi contraxerint ante legationem; sed habent jus revocandi domum & petendi actorem remitti ad locum domicilii tanquam ad forum ordinarium *l. 2. §. 3. & 4. & l. 8. ff. de judic. Nov. 123. c. 25. Vvesenbach. part. prior. pandect. disput. 16. th. 8. Cum enim repræsentent personas eorum, à quibus ablegantur, & illi ex detentione damnum sentirent, iniquum est, ut ab officio suscepto legationis avocentur *l. 24. ff. de judic. & legatio impediatur l. 16. ff. eod. Peck. cap. 5. num. 7. Mey. cap. 8. n. 114. Idem asserunt de Consiliariis & Advocatis Principum *Peck. c. 5. n. 8. & Mey. d. c. 8. n. 123. per l. 3. & 5. C. de Advoc. d. vers.***

verf. judic. Sunt & alii, qui arrestari non possunt. Verum illo privilegio muniti, non aliter eo juvantur, quam si à fuga & fugæ suspicionem absint. Fugitivi enim & de fugâ suspecti, si suspicio iudici ex verisimilibus indiciis probata fuerit, nullâ gaudent fori præscriptione, nec habent jus revocandi domum *jasin. l. 2. n. 15. & seq. ff. de jurid. Nev. cap. 8. n. 132. Coler. part. 2. c. 1. n. 89.* Nec sint vagabundi: vagabundus enim, cum nusquam videatur esse, ubiq; sortitur forum propter incertitudinem habitationis aut domicilii, *Coler. part. 2. c. 1. dist. num. 89. & n. 96. Mév. d. c. 8. n. 137. Gail. 1. obs. 1. n. 34.*

Th. XXII.

Ad causas arresti accedimus. Non enim subsistit arrestum, nisi iusta subsit causa *Gail. hic c. 11. n. 30.* unam atq; alteram saltem hic annotabimus: nam omnes recensere charta non permittit. Sit igitur prima causa metus fugæ, nam quando debitor de fuga est suspectus & immobilia non habet, tunc iuste petitur & decernitur arrestum: *l. 7. §. fin. ff. qui satisd. cog. Gail. 2. obs. 44. princ. n. 1. & seq. Myns. cent. 4. obs. 69. n. 10.* seu habet quidem, at in loco periculoso, vel ira modica, ut ad aebiti solutionem, ad quod obligatus est, non sufficiat. *Menoch. arb. jud. quest. cas. 87. n. 11. & 12.* Quod adeo procedit, ut, etiam si conditio, vel dies solvendi nondum venerit, tamen ad cautionem præstandam debitor recte detineatur, nisi tempore contractus talis fuerit, idq; creditor non ignoraverit: tunc enim sibi imputet, quod cum tali contraxit *l. 3. §. fin. ff. ut in pess. legat. l. 34. C. de transact. Gail. 2. obs. 44. n. 7.* Quomodo vero suspicio de fugâ probetur, vid. prolixè tractatum apud *Menoch. de A. J. Q. lib. 2. cent. 1. cas. 87. per tot. Gail. d. obs. 44. n. 5.* Utrum autem necesse sit, ut omnia suspitionum indicia, quæ à Dd. proponantur, concurrant, relinquimus arbitrio iudicis, qui ex verisimilibus fugæ præsumptionibus arrestum decernat.

Th. XXIII.

Secunda arresti causa est prodigalitas & dilapidatio debitoris. Quando igitur non latet, debitorem fortunas suas abliguræ & ad inopiam vergere, quia nempe est homo vitæ perditæ suisq; rebus male utitur, arrestum iuste decernitur tam in personalibus, quam in realibus iudiciis *arg. l. 22. §. 8. ff. solut. matrim. Gail. 1. obs. 147. per tot.* nam prodigis & profusis administratio bonorum admittitur *l. 12 §. fin.*

*fin. ff. de Tutor. & Curat. dat. ab his. l. i. ff. de Curat. sur. ne iudicium fiat elu-
sivum, quod esse non debet l. 57. ff. de iudic. l. 4. C. de recept. arbitr. l.
6. ff. de l. mal. nec executio reddatur inanis, l. 21. § fin. ff. de Appel.
Siquidē is illorum decoctorum mos est, ut eduliorum suavitate malint
bona sua consumere, quam aēs alienum dissolvere. Priusquam au-
rem Iudex a solo imponat arrestum, debet habere scientiam ipsius
prodigalitatē, nam non statim ad importunam, & sollicitam credi-
toris instantiam, sine personarum aliarumq; circumstantiarum ratio-
ne & consideratione, in cuiusvis personam, seu res vel bona inje-
ctio manuum est permittenda *arg. l. 13. §. 3. ff. de danm. insect. Rosb.
h. t. n. 37.* qui autem actus eam probent, videre licet *apud Mey. ad jus Lu-
bric. lib. 1. tit. 5. art. 10. n. 23. & seq.* nec eorum probatio semper ple-
na requiritur, sed, quoniam periculum in mora est, sufficit qualis
qualis iudicis informatio, quæ ipsius arbitrio relinquatur *Marian. So-
cin. de citat. art. 20. n. 67. & seq. & ex eo Mey. hic. c. 6. n. 11.**

Th. XXIV.

Tertia causa est malitia & contumacia partis, quando quis com-
parere aut iudicio se sistere detrectat *C. 2. X. de dol. & contum. nam*
propter contumaciam missio in possessionem bonorum concedi-
tur *l. 1. & 2. ff. quib. ex caus. in possess. ear. C. 5. vers. in alio. X. ut lit. non
contest.* multo magis arrestatio. Vel qui cautionem præstare recu-
sat *v. c. in bonis conferendis l. 1. §. 10. & 13. ff. de collat.* vel qui ab exe-
cutione sententiæ, quæ in rem iudicatam transit, appellare cona-
tur *l. 5. C. quor. appell. non recip. Gail. h. t. c. 11. n. 4. & seq.* quamvis enim
lite pendente regulariter nihil sit innovandum *tot. tit. C. ut lit. pend.*
attamen hoc in casu arrestatio est permissa. Habet enim actor, qui
sententiam obtinuit, jus jam quæsitum, nec amplius de meritis cau-
sæ principalis quæritur. Verum variis in casibus ad refrenandam
debitoris contumaciam arresta permittuntur, teste *Gail. h. tit. c. 3. n.
18. Dd. in l. un. C. de prohib. pec. seq.*

Th. XXV.

Quarta causa est diffamatio, quando quis alicujus famam con-
vitiis proscindit, aut suum debitorem esse jactitat, is enim ubicunq;
locorum reperitur, ad petitionem diffamati recte arrestatur, donec
diffamationem probet. *Mey. c. 6. n. 29. & hoc est extra omnem
habitationis aëam.* Si enim quis propter debitum civiles quod ni
nu.

nus est, potest in carcerem mitti *Gail. 2. de pac. publ. c. 2. n. 8.* quidni posset qui sarrestari propter diffamationis crimen, quod majus est: nam fama omnium rerum pretiosissima & inestimabilis est. *l. si in duabus 104. ff. de R. J. vitæq; æquiparatur l. 9. ff. de manumiss. vind. l. 8. §. 2. ff. quod met. caus.*

Th. XXVI.

Quinta causa est rapacitas hæredum, qui extremum exhalantis animæ spiritum cupidissimè expectantes bona hæreditaria invadunt, illorumq; possessionem occupant, ut cæteros cohæredes, quos ordo successionis vel propius, vel ex æquo contingit, absentes ignorantesve præventionem quadam antiquioris possessionis antevertant, longisq; processibus & litium tricis defatigatos excludant. Adversus hos enim, ne ex illorum malitia alii detrimenti quid capiant, judex facile super bonis hæreditariis arrestum concedere debet, & commodum præcipitatæ possessionis impedire *Gail. h. t. c. 11. n. 33.*
§. c. 1. n. 22.

Th. XXVII.

Sexta arresti causa est, quando creditori in loco, ubi debitor domicilium habet, jus & iustitia denegatur, tunc alibi potest illum aut res ipsius, impiorato judicis officio, detinere, donec satisfaciatur *Carpzov. J. R. S. part. 1. confit. 30. defn. 14. n. 6. & seq. dummodo judicem requisitæ & denegatæ justitiæ certiores faciat, quod fieri solet per instrumentum, quo ex dicta jam causa criminis arguit priorem judicem, quem ministrum justitiæ esse decet l. 13. C. de sent. & inter loc.* Non verò extendendum hoc est ad illos, quibus iniquè jus dicitur. Judex enim injustè procedens non dicitur denegare justitiam *Mev. §. c. 6. n. 49.* Causas plures enarrare non licet, dicimus ergo ex omni conventionem, quocunq; modo paratam executionem tribuente, arrestandi licentiam dari, modo reliqua arresti requisita adsint, cum *Mev. d. c. 6. n. 68. jun. Coler. de process. execut. part. 1. c. 2. n. 183.*

Th. XXIIII.

Forma arresti consistit in eo, ut arrestatio à judice competentè impetretur: quia judex pro privatâ utilitate nemini officium suum impertit, nisi imploratus *l. 4. §. 8. ff. de damn. infect.* & ut ei proponatur justa arrestandi causa. Non enim statim ad simplicem petitionem cujusvis creditoris arrestum concedatur, sed quando adest in debitore

mora & causa iusta arrestum petendi *Rosh. h. t. n. 16.* qualis est, an persona arrestanda sit solvendo nec ne, an facilis conventu, an persona extranea, vagabunda & de fuga suspecta: an debitum iustum & liquidum sit, ex chyrographo, instrumento, vel testibus *Coler. d. tract. part. 3. cap. 1. n. 32. Mev. hic c. 5. num. 12. & seqq.* an causa arresti iusta, honesta & legitima sit, an vero prohibita & legibus exosa *Gail. h. tit. c. 1. n. 11. Damhau. pax. civ. c. 64. n. 18. & seqq.* Quando namq; legitima & iusta subest causa statim ab ipsa arrestatione fit initium, nulla citatione præviâ: alioqui enim facile fugam adornaret debitor. *Peck. de Jur. sist. c. 4. n. 6. Coler. de process. excut. part. 3. c. 11. n. 66. Mev. hic c. 13. n. 2.* Notandum hic, antequam ad alia progrediamur: Judicem etiam ex officio nobili non rogatum pro executione juris arresto posse imò debere uti, præsertim contra debitores Reipubl. & facinorosos. *Mev. c. 5. n. 28.*

Th. XXIX.

Ad formam quoq; spectat, ut arrestum fiat tempore iusto, & in loco competenti. Circa tempus observandum, quod etiam die festo, si periculum sit in mora, arrestum fieri possit *gloss. in. l. fin. C. de ser. Gail. 1. obs. 53. n. 13. Peck. de jur. sist. cap. 6. princ. & num. 1.* Tempore vero nundinarum nec persona nec res arrestari possunt debitorum ad illas venientium pro debito antea contracto *l. unic. C. de nundin. Peck. de Jur. sist. c. 7. n. 3. Coler. de process. excut. part. 3. c. 2. n. 164.* Excipiuntur ab hac securitate debita jurata, debita in ipsis nundinis contracta per *l. 19. s. 5. 2. ff. de Jud. Proscripti & criminosi, fugitivi & latitantes Peck. d. c. 7. n. 3. s. 6. 7. Mev. hic cap. 5. n. 7. & seqq. Coler. d. num. 164.* Circa locum illa notanda est regula: Quo in loco aliquis solvere non tenetur debitum, ibidem nec arresta sunt licita. Hinc nec in loco sacro, nec in ædibus propriis *l. 18. ff. de in 19. vocand.* nec alienis, contradicente domino, quis arrestari debet *Peck. cap. 6. n. 1. 2. 3. ubi variè quoad immunitatem ædium excipit debitorem fisci, & debitorem omnino fugitivum n. 4. vers. Porro.*

Th. XXX.

Sicut autem rerum naturalium ortus est, nec non occasus & interitus: ita quoq; civilium. *l. ult. ff. de LL.* Nonnullos igitur arresti relaxandi modos in præfens enarrare constituimus. Regulariter enim arrestum relaxatur solutione ejus, quod debetur: nam nihil tam naturale est, quam eodem.

eodem modo unumquodq; dissolvi, quo colligatum est *l. 35. ff. de R. 1.*
quia enim debitori à creditore arrestum propter debitum est imposi-
tum, merito quoq; soluto eo ab arresto liberatur. *Mey. c. 25. num. 15. Peck.*
cap. 3. num. 1.

Th. XXXI.

Solvitur porro arrestum finitâ per sententiam lite *l. 7. §. fin. ff. qui*
fatid. cog. lis autem finita censetur, quando sententia transit in rem ju-
dicatam. Aliquando etiam nondum finitâ lite arrestum relaxatur v. g.
si nempe sine legitima causa fuerit decretum. Sicut enim Judex faci-
lis fuit in perperam decernendo, ita eodem modo facilis in revocan-
do esse debet *Gilhaus. in arbor. Jud. t. 10. §. 3. v. u. Peck. de Jur. ff. c. 12.*
n. 8. cum, quæ de facto sunt, nullâ justâ exceptione defendantur *l. 1. §. 3.*
ff. quod vi aut clam. Gail. hic c. 3. num. 15. & potest Judex arrestum tale
alterâ parte absente & non auditâ revocare *Mey. hic c. 25. n. 18* nam qui
præsens actum impedire nequit, eo etiam absente & non citato expe-
diri potest *l. 1. l. 3. §. 3. ff. de fidei. com. libert. l. 6. ff. ad Scium Trebell.*
l. 26. ff. de R. 1. Mey. d. loc. n. 19.

Th. XXXII.

Petitur etiam rescissio & abolitio arresti implorato Judicis officio; &
quidem superioris, aut si superior non adsit, ejusdem, si ille malit, qui ar-
restum imposuit *Gail. de sequest. pos. c. 1. n. 141. & seq.* & cum pendente lite,
arrestum iniquitas apparet, illud statim est relaxandum. Ille vero, qui arrestum
injuste impetravit, tenetur ad refusionem sumptuum, damnorum &
interesse *Coler. de process. execut. part. 2. c. 3. num. 39. Carpz. part. 1. const.*
30. desin. 21. Imò potest conveniri ejusmodi arrestator, à Magistratu
vel creditoribus aliis, qui forte ex detentione illâ injustâ damnum sen-
tiverunt, ut & ipsis damnum & interesse refundat *Carpzov. d. loc.*

Th. XXXIII.

Tollitur quoq; arrestum cautione idoneâ & sufficienti, quæ apud
Judicem datis fidejussoribus aut pignoribus interponitur *Peck. c. 31. n.*
4. Gail. 2. obs. 44. n. 10. Rosb. in prax. Civ. tit. 40. n. 54. & 57. Quoties
enim idonea danda est cautio, tunc vel fidejussoria, vel pignoratitia re-
quiritur *l. 59. §. ult. ff. mandati l. 4. §. 8. ff. de fidei. com. lib. Gail. 1. obs. 26.*
n. 6. & hinc satisfactio ordinaria arrestu medicina vocatur. Idq; dubio
caret, quando jus actoris nondum est omnino liquidum *arg. l. 9. C. de*
Obl. & act. & l. 1. C. de execut. rei jud. sin vero debitum est liquidum.

& confessatum non relaxatur arrestum per cautionem, sive res sive persona sit arrestata; sed debet præcisè solvi & adimpleri id, quod est in obligatione *Coler. de process. execut. part. 3. cap. 11. n. 94. Peck. d. c. 31. n. 2. princ. Mey. d. c. 25. n. 101.*

Th. XXXIV.

Quamvis verò cautio de Judicio fisci sufficiat ad relaxandum arrestum, ubi res ex ratione vel jure communi decidenda est: tamen usus & stylus fori plerisq; in locis simul & de judicio fisci & judicatum solvi cautionem exigunt. *Peck. d. c. 31. num. 2. & 3. Mey. c. 25. n. 55. & n. 59. Coler. part. 1. c. 7. n. 19.* & ita in Imperii nostri arrestis obtinet. *R. A. zu Speyer de anno 1570. §. Wann auch die arresta. Gail. de arrest. Imper. c. 4. n. 9.* Item in foro Saxonico *Coler. de process. execut. part. 3. c. 11. n. 93. & part. 2. c. 3. num. 48.* Idem in locis, ubi Jus Lubecense viget, observari testatur *Mey. d. cap. 25. num. 58.*

Th. XXXV.

Quæri hîc solet, an admittatur etiam Juratoria cautio ad relaxandum arrestum? Respondemus regulariter illam non admitti: nam requiritur sufficiens cautio, qualis non est Juratoria *glofs. ad cap. qua fronte. 25. in verb. sufficiens cautioni. X. de Appellat. Peck. d. c. 31. n. 4. Gail. de arrest. imper. cap. 3. n. 10.* Admitti tamen potest aliquando ad arbitrium Judicis, præsertim quando arrestatus nec fidejussores, nec pignora in promptu habet, atq; vir est honestæ & probatæ vitæ, vel, egregia persona, sive nobilis *Peck. d. c. 31. n. 4. & 5. Coler. de process. execut. part. 3. d. c. 11. n. 102. Mindan. de process. lib. 1. cap. 41. §. 1. n. 8. Gail. 1. obs. 148. num. 6.* Volunt tamen, ut jurans simul bona sua, quæ alibi habet, oppignoret *Coler. d. part. 3. c. 11. n. 101. & 107. Mey. cap. 25. n. 97.*

Th. XXXVI.

Relaxandi quoq; arresti causa personalis est de Jure civili seu communi cessio bonorum per quam & carcer declinatur. l. 1. l. *fin. C. qui bon. ced. Nov. 135. cap. 1. Coler. de process. execut. part. 1. c. 7. n. 18.* si modo constar, vel probat debitor (super quo tamen audiatur creditor) cessio- nis beneficium, quod certis suis finibus restrictum est & limratum, in se locum habere *Peck. c. 31. n. 8. Mey. c. 25. n. 34. De Jur. Saxon. arresta- tum*

tum non liberat oblata cessio *Coler. d. part. 1. c. 7. n. 18.* neq; illud flebile beneficium *jus Saxon.* agnoscit, sed debitorem non solvendo existentem condemnat ad manus creditoris *Coler. d. part. 1. c. 30. n. 160. & cap. 6. n. 125.* *jus Lubecense* arbitrio creditoris relinquit, an debitorem velit ad cessionem bonorum admittere, an verò illum in servitutem recipere. *lib. 1. tit. 3. art. 1.* Rebus verò arrestatis cessio nec de Jure Civ. quicquam proficit, sed, ubi debitum liquidum fuerit, verum arresto constrictarum fit adjudicatio: uti sapius pronunciatum se nosse testatur *Mey. d. c. 25. n. 38.*

Th. XXXVII.

Relaxatur insuper arrestum, quando debitor impetrat literas dilatorias, seu quinquennales, vel rescripta moratoria. Ubi tamen diligenter observandum, an sit indultum moratorium concessum ab eo, cuius competit, an eos obliget à quibus, vel ad quorum instantiam fuit arrestum impositum: & an causa etiam, de qua agitur, sub indulto comprehendatur, vel an sit inter exceptas *Peck. dict. cap. 31. n. 9. Mey. d. c. 25. n. 39.*

Th. XXXVIII.

Nunc de exceptionibus, quæ arresto opponi solent, aliquid placeat addere. Quod, si enim requisita, vel illorum unum aut alterum, quæ ad fundandam arrestorum justitiam necessaria sunt, non fuit observatum, excipiendo potest arrestum impugnari. e. g. (1.) si arrestat, cui potestas non est, & arrestetur, quem arrestare non licet, in quibus cum citatione convenit. (2.) si contra formam, præcipitanter & sine ullâ causæ cognitione ad arrestationem procedatur, nec enim statim ab executione, cujus species est arrestum, incipiendum *l. 1. ibiq; BARR. n. 1. C. de exec. rei jud. (3.)* Si causæ gravaminum de relaxando arresto non attendatur vel admittatur, quo casu ad superiore[m] appellari potest *Schurff. conf. 15. n. 16. cent. 3. Mey. cap. 25. n. 44. (4.)* Si cautio pro relaxando arresto & revocando non recipiatur, vel ad sufficientem cautionem arrestum non relaxetur, nam hoc modo iudex, si malitiosè egit, actione injuriarum conveniri potest: sin verò errore vel alio modo circa arrestum peccavit sine nocendi animo, tum arresto gravatus remedio Appel-
latio-

lationis, vel Syndicatus potest uti contra Judicem *Coth. 3. conf. 24. n. 16. Mey. cap. 23. n. 22.* huc referri posse existimamus cum *Mey. cap. 18. n. 24.* quod Judex litem suam faciat, qui per dolum vel gratiam, vel imperitiam injuste judicavit. *prin. Inst. de oblig. quas ex del. tot. tit. C. de pæn. jud. qui mal. jud. Nov. 25. n. 3. Nov. 134. cap. 2. Coler. de proces. execut. par. 3. cap. 11. num. 77.* Sicut itaq; causæ sunt diversæ, ex quibus judex male procedit: ita nec eodem modo ob arrestum injustum conveniri potest.

Th. XXXVIII.


Accedimus ad violatorem arresti præsertim personalis in causa civili. Arrestatus ipse violat arrestum, quando sine venia Judicis, aut creditorum abit & fugit, frustraturq; intentionem & effectum decreti Judicis. Qui discessus non quidem statim proscriptione solet plecti, sed prius citari discedens, ut redeat & abitum purget sub comminatione proscriptionis seu relegationis. Citatus ita vel se sistit, vel emanet; si se sistit, tum vel habet justam & sufficientem causam purgandæ contumaciæ, quales à Dd. existimantur incendium, pestis admodum contagiosa, incursum latro- num, insidiæ, similisvè necessitas & pericali gravioris metus *Coler. de proces. execut. par. 3. c. 11. n. 52. per l. 2. §. 1. & seqq. & l. 6. si quis caution: in jud. sist. caus. fact. non obtemp.* vel non habet justam excutandi causam. Ille est impunis: Hic licet redierit ad citationem, tamen non absolvitur à pœnâ, sed ob violatam jurisdictionem extraordinarie & arbitrarie punitur *Coler. d. n. 52. in princ. Mey. cap. 24. n. 12.* Qui emanet vero contumaciter, seu citatus se non sistit, statim sine processu alio condemnatur in proscriptionem vel relegationem in die Land- oder Stad- fest. Non enim licet Prætores Magistratumvè contemnere, quibus concessum est, jurisdictionem suam pœnali judicio defendere *l. un. pr. ff. si quis jus dic. non obtemp. l. 17. ff. de his qui not. infam.* Et hæc quoq; ratio obtinet in eo, qui noluit recipere arrestum annunciatum, sed protestatus contra illud, se eo ob iniquitatem nolle teneri. Proinde eadem pœnâ ejusmodi refractarius dignus est, quâ arrestum impositum violans,

Th. XXXX.


Violati arresti itidem reus est, qui debitoribus aliisq; arrestatis vel
subli-

subsidium, opem, consilium auxiliumvè præbent, ut post impostum
arrestum elabantur, vel qui jam arrestandos juvant, scientes prudentesq;
ut jam jam imminens arrestum possint effugere: aut occultant, ut iis ar-
restum denunciari nequeat. Illi tamen rectà in eandem debitoris ex ar-
resto exempti obligationem incidunt, adeoq; æquè ac ipse debitor ar-
restatus perinde ac si fidejussorio nomine sese obligasset, creditòri tene-
tur solvere & præstare promissum *Peck. de jur. sistend. c. 26. pr. & n. 1. per.*
l. quoties 4. C. de exact. tributi: Hos eodem modo teneri ad debitum
exsolvendum existimat *Salic. in l. ult. n. 1. C. de oper. liber. Peck. d. c. 26. n.*
3. in princ. & statim addit, quod ubiq; sit eadem ratio, & tandem, quod
hæc opinio sit communis, concludit, postquam adduxit sententiam
Jafonis, *Statuentis. d. §. Penales. n. 103. Inst. de act. si occultans, vel receptans,*
vel alio modo eximens debitorem arrestandum ab instanti arresto vim
adhibeat, eum teneri edicto, Ne quis eum qui in jus voc. vi. eximat.
per l. 4. pr. & §. 2. Ne quis eum qui in jus & c. sin dolum saltem commit-
tat, competere contra eum actionem in factum, quanti interfit ar-
restantis, tale quid non fuisse factum ex Edicto, de eo, per quem fact. erit
quo min. quis in jud. sist. per l. 1. §. 1. & l. 3. pr. illius tit. Idem sentit. Mey. ad jus
Lubec. n. 43. Hæc de arresto dixisse sufficiat hoc tempore, quo, uti de
suo, ante seculum ferme, seculo conqueritur *Peck. scribens de hac eadem*
materiâ cap. 4. n. 15. in fin. Fides atq; charitas friget, & adversarius noster
Diabolus, mille artifex novas atq; inusitatas decipiendi formas, quotidie sug-
gerit debitoribus ad fraudandum propensioribus. Sed DEUS huic
malo ejusq; authori resistat, & reducat fidem atq; chari-
tatem miserè exulantes. Ita concludimus
& dicimus,

DEO sit laus & Gloria.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is mostly obscured by the texture and color of the aged paper.



subsidium, opem, consilium auxiliumve præbent, & arrestam elabantur, vel qui jam arrestandos juvant, sciunt ut jam jam imminens arrestum possint effugere: aut e restum denunciari nequeat. Illi tamen recta in eandem resto exempti obligationem incidunt, adeoque æquar restatus perinde ac si fidejussorio nomine sese obligatur solvere & præstare promissum Peck. de jur. sistend. l. quoties 4. C. de exact. tributi: Hos eodem modo exsolvendum existimat Salic. in l. ult. n. 1. C. de oper. li. 3. in princ. & statim addit, quod ubiq; sit eadem ratio hæc opinio sit communis, concludit, postquam ad Jasonis, statuenti. d. §. Penales. n. 103. Inst. de act. si occul vel alio modo eximens debitorem arrestandum ab adhibeat, eum teneri edicto, Ne quis eum qui in p per l. 4. pr. & §. 2. Ne quis eum qui in jus &c. sin dolutat, competere contra eum actionem in factum restantis, tale quid non fuisse factum ex Edicto, de eo quo min. quis in jud. sist. per l. 1. §. 1. & l. 3. pr. illius tit. Id Lubec. n. 43. Hæc de arresto dixisse sufficiat hoc tesuo, ante seculum ferme, seculo conqueritur Peck. sc materia cap. 4. n. 15. in fin. Fides atq; charitas friget, Diabolus, mille artifex novas atq; inusitatas decipiendi gerit debitoribus ad fraudandum propensoribus. malo ejusq; authori resistat, & reducat fidentatem miserè exulantes. Ita concludimus & dicimus,

DEO sit laus & Glo

OS(O)90
✠

